

apostolica eidem concessa, ut asserit de prima praebenda in ecclesia Misnensi nunc vacante vel proxime vacatura, per receptionem magistri Waltheri nullum praeiudicium dicto domino archiepiscopo volumus generari. Si vero capitulum Misnense [propter] receptionem praefati magistri Waltheri a domino archiepiscopo incusaretur vel in iure impeteretur, idem [magist]er Waltherus ad eripiendum capitulum consilium et auxilium et operam dabit bona fide et [suum] locum ipsum proteget et defendet, et omnium electorum expectantium, si qui sint vel esse debeant electi [in] ecclesia Misnensi, ad vacaturas minores iure in omnibus eorundem reservato et ordine consuetudinibus a[pproba]tis in ecclesia Misnensi in omnibus articulis suis volumus, ut per dictam receptionem magistri Waltheri nulli eorum aliquod praeiudicium generetur, sed in omnibus dictas consuetudines bona fide debeat in suo robore dictus magister Waltherus et firmitate et libertate conservare et quempiam in iure et ordine suo nullatenus impedire, sed suo ordine receptionis a canonicis Misnensis ecclesiae eidem diffinito et assignato contentetur. In cuius rei evidentiam firmiorem praesentem litteram dedimus sigilli nostri munimine et capituli ecclesiae Misnensis firmiter communitam. Ego vero Waltherus prothonotarius dicti domini marchionis promitto et sub attestatione praesentium litterarum me obligo ab hac hora in antea ad observandum omnia ac singula praenotata iura, consuetudines et constitutiones tanquam alter canonicus, prout dicta ecclesia Misnensis a retroactis est temporibus suis privilegiis, iuribus, honoribus ac consuetudinibus conservata. Datum Misnae anno domini M^o.CCC^o.IX^o. dominica, qua cantatur Circumdederunt.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Reitersiegel des Markgrafen und dem Siegel des Capitels an Pergamentstreifen. Die in den durch eine starke Beschädigung entstandenen Lücken jetzt fehlenden Buchstaben und Worte sind versuchsweise ergänzt und in eckige Klammern gestellt worden.

No. 346. 1310. 1. Juni.

B. Albrecht III. ertheilt denen, welche die Stiftskirche zu Zeitz an den Sonn- und gewissen Festtagen bussfertig besuchen oder durch Beiträge dieselbe unterstützen, vierzig Tage Ablass.

Albertus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus, ad quos praesens scriptum pervenerit, salutem in domino. Cupientes quoslibet Christi fideles indulgentiis et remissionibus ad pietatis et karitatis opera invitare, omnibus igitur vere poenitentibus et confessis, qui ad ecclesiam beatorum Petri et Pauli apostolorum in Cice Nuemburgensis diocesis in singulis subscriptis festivitibus seu diebus, videlicet nativitatis domini, resurrectionis, ascensionis, penthecostes, in singulis diebus dominicis per totius anni circulum, in quatuor festivitibus beatae Mariae virginis, scilicet nativitatis, purificationis, annunciationis, assumptionis, in die beatae Mariae Magdalенаe, in festo beatorum Petri et Pauli ac aliorum omnium apostolorum, in festo omnium sanctorum, in die dedicationis, in die beatae Katherinae virginis, in die beati Blasii martyris et per ipsarum festivitatum octavas devote et causa orationis accesserint annuatim, vel qui ad fabricam, luminaria, ornamenta seu ad aliqua alia necessaria eidem ecclesiae manus porrexerint adiutrices vel quicquam facultatum suarum legaverint, donaverint, miserint vel procuraverint ecclesiae praelibatae, nos de omnipotentis dei misericordia